



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De essentia causæ in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

ratio, qua nituntur aduersarij; & qua negatam à nobis maiorem probant, nullius momenti est: quia, quæ simul loco non sunt, ubi in locis immediatis sint, Physicè vniri, ac verè continuari possunt: ergo etiam quæ simul tempore non sunt, ubi in temporibus immediatis sint, Physicè poterunt vniri, atque continuari. Confirmatur, atque obiter eleuatur exemplum; quo vtuntur aduersarij: si ad vnionem informatiuam, qua videlicet forma vnitur materiæ, spectes; eius extrema non

possunt non esse in eodem loco, & in eodem tempore: at vnio continuatiua leges vnionis informatiuæ quoad similitudinem loci non seruat: cur ergo eas seruare debeat, quoad similitudinem temporis? Porro autem ad confirmationem argumenti in simili factum est satis suprâ tract. 7. c. 4. circa medium. Cætera etiam argumenta, quæ fieri possunt, contra nostram, & Aristotelicam compositionem temporis, facillè solui possunt ex dictis eodem tractatu.



LIBER QVARTVS

DE

Causis Corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

DE ESSENTIA CAVSÆ IN COMMUNI.

CAPVT PRIMVM.

Quæ sit Essentia Causæ in Communi.

1.



AVSA à P. Suarez 1. Metaph. disp. 12. sect. 2. num. 4. & alijs ita solet definiri. Causa est principium per se influens esse in aliud. Pro cuius definitionis luce, & intelligentia objicies contra eam primò. Potest aliquid esse causa sui quoad secundum esse, ac se per actionem secundariam producere: qua ratione Christum in Eucharistia sui ipsius causam esse ipsemet P. Suarez asserit: at nihil à se ipso aliud est: ergo de ratione causæ, non est, vt esse in aliud influat. Objicies secundò. Pater Aternus influit esse in personam filij à se aliam, seu realiter distinctam: at eius causa non est: ergo, &c. Minor perspicua est: tum quia P. Latini Patrem Aternum filij causam esse omnes negant, vt P. Hurtadus in præsentì testatur: tum, quia si qua causa filij esset, maximè efficiens: at Pater Aternus filium efficere, siue facere nequit: iuxta illud symboli; *genitum, non factum*.

2.

Objicies tertio. Pater creatus v. g. Petrus est causa filij sui, Pauli scilicet, quem genuit: & tamen cum generans, & producus non influit esse in aliud, cum Paulus ab eo genitus non sit aliud ab illo, sed dumtaxat alius: vt perspicuè docet B. Damascenus cap. 9. dialect. ibi: *Sciendum, quod quæ natura differunt, aliud, & aliud dicuntur. Dicimus enim, aliud est homo, & aliud est equus: aliud enim secundum naturam: est enim alia species homi-*

nis, & alia equi. Numero autem differentia (id est hypostases) alius, & alius dicuntur. Dicimus enim, quoniam alius est Petrus, & alius Paulus: non autem possumus dicere, quoniam aliud est Petrus, & aliud Paulus, quia falsum dicimus. Natura enim vniuersa sunt, non sunt vnum numero. Hactenus ille.

Verum ad primum respondeo. In primis adeò constans non est, aliquid sui ipsius causam esse posse: & si de causalitate immediata sermo sit, oppositum longe probabilius est, vt ostendetur in loco. Deinde eo modo, quo aliquid se ipsum causat, si se causare potest, eo, inquam, modo, à se ipso distinguitur: siquidem se quoad secundum tantum esse, siue quoad secundam actionem causat: actio autem secunda non minus quàm prima distinguitur, & est aliud quid à re, quæ per eam à se ipsa causatur. Ad secundum respondeo, particulam, *aliud*, in definitione causæ supponere pro alietate, siue distinctione, quæ omnem identitatem realem etiam mediatam, siue in tertio excludat: at filius ita distinguitur à Patre aternò, vt ea distinctio omnem identitatem realem etiam in tertio excludat, eo quod vterque in eadem essentia, & natura realiter conueniant, atque indentificentur inuicem: proinde non est, cur alter respectu alterius censeretur aliud, propriè loquendo, & prout particula, *aliud*, modò sumitur.

Enimuero P. Hurtadus in præsentì alio nomine Patrem aternum filij causam esse non posse tuetur: nempe, quia causa debet esse prior natura suo effectu: at Pater aternus prior natura filio esse nequit, quoniam prioritas naturæ est prioritas non realis, sed rationis: atque adeo quod prius natura alio est, sine eo concipi poterit: cum ergo Pater aternus sine filio existente concipi nequeat, propterea quod generatio actiua filij de essentia

essentia Patris sit, & in ipsa paternitate consistat; sanè Pater prior natura filio, eiusuè causa esse non poterit. Vno verbo: generatio actiua filij Patrem non supponit, sed potius constituit: unde Pater filij causa esse non sustinet. Contra tamen sic argumentor: quia non implicat in creatis principium aliquod, quod se ipso sit productio alicuius effectus: at eiusmodi principium esset causa sui effectus: ergo quantumuis Pater Æternus seipso sit productio, ac generatio filij, adhuc eius causa esse poterit. Major probatur: tum quia in ea hypothese nulla repugnantia est: tum quia effectus aliquis creatus seipso à causa produci potest: ut cernere est in actione, quæ seipsa à causâ producitur: ergo etiam causa aliqua creatura seipsa effectum producere poterit. Deinde Deus est causa Angel; & tamen per suam volitionem à se realiter indistinctam eum producit: ergo quamuis Pater Æternus per generationem à se realiter indistinctam, nec enim ab eo virtualiter indistincta esse potest filium producat, adhuc filij causa esse poterit. Præterea: actio est posterior natura causâ, quamuis seipsa à causa essentialiter oriatur, ita ut sine causâ concipi nequeat: ergo & Pater prior natura filio, & eius causa esse poterit, quamuis sine eo non possit concipi, aut esse.

Ad tertium argumentum contrarium respondeo, Damascenum hoc tantum voluisse, Paulum quoad naturam non esse aliud specificè à Petro, cum ambo eandem specificè naturam sortiantur: at esse ab eo quoad naturam aliud numerice, & suppositaliter, cum diuersas numero naturas humanas, singulares quidem, atque suppositatas obtineant: vnum autem ab alio esse aliud solo priori sensu sufficere, ad hoc, ut alter alterum generans sit vera causa; iuxta huius definitionem à nobis traditam. Si cui tamen propter difficultates superiores ea definitio minus placet, is causam in communi sic definiat: *Causa est id, quod tribuit alicui esse finitum.* Atque ita erit, ut Pater Æternus non sit stricte causa Filij; quippe cui tribuit esse non finitum, sed infinitum: neque non etiam ut Petrus v. g. Pauli, quem generat, e contrario vera causa sit, cum esse ei non infinitum, sed finitum communicet.

CAPVT II.

An essentia cause conueniat propriè, & uniuocè cause remotæ?

5. **Q**uestio hæc quantumuis magna ex parte de nomine sit, parui tamen momenti non est, eo quod eius affirmatiua parte rectè concludi possit concursus immediatus Dei, cum quauis creatura ad omnes eius operationes: nimirum quia Sacra pagina passim edocet, Deum esse causam omnium effectuum, qui à causis secundis proficiuntur: cum autem verba sacrae paginae, manifestâ ratione non refragante, solum in sensu proprio, & rigoro accipienda sint, non vero in metaphorico, & translatio: certè Deus causa propria, & stricte omnium effectuum cuiuscumque creaturæ censendus est: ubi ergo sola causa immediata, & proxima propriè causa sit, iuxta affirmationem vnius questionis partem, sanè Deus omnium effectuum cuiuscumque creaturæ immediata, & proxima causa negari non poterit; quam

illationem infra fortassis contrâ Durandum prememus. Igitur P. Suarez disp. 18. Metaph. sect. 2. num. 22. P. Vasquez tom. 1. in 3. part. d. 21. n. 17. & P. Hurtado disp. 8. Phys. sect. 4. censent, causam remotam, & quæ mediâ aliâ causâ solum causat, qualis est aqua calida, & in genere causâ materialis sustentans, & causans calorem respectu caloris in me à calore aqueo derinati, aut qualis est ignis A ignem B immediate efficiens respectu ignis D. qui ab igne B. immediate producitur: eiusmodi, inquam, causam improprie, & metaphorice causam appellari, & esse; quibus ipse libenter subscribo.

Primo: quia cognoscere mediatè, siue medio alio cognoscente non est proprie cognoscere: ergo neque causare mediatè, sicut media alia causa cauante est proprie causare: ac proinde causa remota, siue mediata proprie causa non est. Antecedens probatur: quia si cognoscere aliquid medio alio cognoscente esset proprie, & simpliciter cognoscere, Deus falsum cognoscere, & affirmare proprie, & simpliciter posset: siquidem medio intellectu creato, & fallibili aliquid falsum cognoscit & affirmat: haud secus, ac media aliqua causa creata aliquid causat. Secundò, & recidit in idem: quia velle aliquid mediatè, siue medio aliquo alio volente non est proprie, & simpliciter velle: aliàs quod Deus mediatè, siue medio libero arbitrio creato vult, illud proprie, & simpliciter vellet, atque adeò malum, & peccatum proprie, & simpliciter vellet: ergo etiam causare aliquid mediatè, siue media alia causa cauante non est proprie, & simpliciter causare: ac per consequens institutum efficitur. Tertio: quia velle efficaciter aliquid mediatè, siue medio alio volito, non est simpliciter, & proprie velle: ergo nec causare mediâ aliâ causâ prius causatâ erit proprie, & simpliciter causare: ac proinde, &c. Antecedens probatur: quia aliàs Deus peccatum efficaciter vellet, siquidem mediatè, siue mediâ eius permissione prius volitâ illud quodammodo vult.

Quarto: quia videri mediatè, siue medio alio viso, non est proprie, & simpliciter videri: ergo neque etiam causare mediâ aliâ causâ prius causatâ erit proprie, & simpliciter causare: atque adeo, &c. Antecedens probatur: quia aliàs Deus esset in hac vita simpliciter & proprie visibilis, siue intuitiue cognoscibilis contra illud Pauli 1. ad Timoth. 6. *Rex Regum, & Dominus dominantium, qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Sequela vero probatur: quia Deus mediatè, aut mediis creaturis; siue, quod perinde est, in iis videtur, & intuitiue cognoscitur, iuxta illud Pauli: *inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: quibus verbis asserit, Deum immediate inuisibilem, adhuc mediatè, siue in suis effectibus videri: ergo si hac ratione videri est, proprie visibilem esse; certè Deus in hac mortali vitâ proprie videri, & intuitiue cognosci poterit: quod certè priori testimonio Pauli aperte repugnat. Quintò, demum à priori: quia causa est principium per se influens esse in aliud, ut ex dictis c. præcedenti constaret: causa remota non influit per se, sed per aliud à se distinctum, nimirum per causam proximam, in aliud: ergo proprie, & simpliciter causa non est.

Contrariam

7. Contrariam sententiam defendunt Ouedo contra 7. phys. p. 5. & alij. Pro quibus obijciens primò tritum axioma: *causa causæ est causa causari*: at causa remota est propriè causa causæ: ergo est propriè causa causati. Secundò: illud est causa propria effectus, à quo effectus propriè dependet: at effectus à causa remota propriè dependet: ergo causa remota est propriè effectus causa. Maior perspicua est: minor probatur: quia causa remota ita comparatur cum effectui, ut ea deficiente, & alia non substituta loco illius, effectus re ipsa deficeret: si enim ignis deficeret eiusque calor, neque à causa primà, neque à causa alia secunda conservaretur: sanè calor ab igne immediatè productus deficeret: ergo effectus re ipsa, & in suo esse à causa remota dependet. Ad primum respondeo: causa causæ est quidem causa causati, ut fert communis parèmia, ob id tamen necesse non est, ut quo modo, quauè proprietate est causa causæ, sit causa causati: haud secus ac amor efficax finis est etiam amor mediòrum, non tamen eodem modo: siquidem amor efficax finis est amor explicitus, & determinatus illius, mediòrum tamen non nisi implicitus, & indeterminatus, horum videlicet, aut illorum, amor est. Ad secundum respondeo: dependentia duplex est: alia indigentia, quæ in eo sita est, quod vnum sine alio esse nequeat; hæc autem dependentia non est dependentia propria causæ, eius essentialis: alias effectus à duplici causâ totali causari non posset, cum iis simul sumptis ad esse non indigeat, quod tamen Authores huius argumenti rerunt, & merito. Alia dependentia est, quæ consistit in eo, quod vnum ab alio suum esse sortiat, siue eo ad esse indigeat, siue non; & hæc dependentia est de ratione causæ. Argumentum autem factum neutiquam probat, effectum propriè dependere à causâ, quæ causæ propria est, sed solâ priori, quæ causæ impropria est: atque adeo causam remotam propriè causam esse neutiquam conuincit. Ex dictis hoc capite efficitur, obiectum remotum qualecumque sit, & in omni euentu improprie obiectum esse, & non solum in aliquo euentu, uti arbitrantur aliqui.

CAPVT III.

*An essentia causæ propriè, atque vniuocè
competat conditioni sine quâ non?*

8. R Espondeo, conditionem sine quâ non, veram effectus causam esse in aliquo genere. Primò: quia effectus à conditione sine quâ non verè pendet, ut omnes fatentur, non à posteriori: ergo à priori, ac proinde vniuoca effectus causa est. Secundò: quia conditiones sine quâ non, quales sunt dispositiones ad operandum, approximatio localis, voluntas Dei, & alia similes, si quæ alia conditiones sunt, causas efficientes ad efficiendum applicant, & mouent: ergo cum causis efficientibus ad effectum verè concurrunt; quod autem ad effectum verè concurrat, vera illius causa est. Tertiò: quia cognitio, & amor ad effectum ab iis pendentes, tanquam veræ causæ concurrunt, ut infra tr. 10. cap. 2. agentes de causa finali ostendimus: ergo etiam conditiones sine quibus, non qualescumque sint, veræ causæ censendæ: cur enim cognitio, & amor, quia inten-

tionaliter mouent, & applicant, veræ causæ sint, & conditiones sine quibus non, qualescumque alia sint, veræ causæ non sint, cum Physicè applicant, & moueant causas efficientes; ut effectus suos producant.

Deinde, nullum discrimen inter conditionem sine qua non, & causam ut sic excogitari potest: ergo conditio, sine qua non, ad aliquod genus causæ reduci debet. Dices primò: causam influere esse in effectum, secus verò conditionem sine qua non. Contra tamen: quia illud est de quo ambigimus, cur conditio sine qua non in effectum non influat, cum effectus à conditione sine quâ non verè pendeat. Dices secundò: conditionem sine qua non, in eo à causa differre, quod variatâ numero conditione sine quâ non, minimè varietur actio; cum tamen variatâ causâ, actio variari debeat. Contra tamen, primò sic argumentor: quia si per impossibile mutaretur essentia diuina, non maneret hæc numero generatio passiva, siue filiatio: tamen essentia diuina iuxta plures aduersarios non est principium productiuum filiationis, sed res respectu eius mera conditio, sine qua non: ergo ex variatione conditionis actio etiam variari potest. Secundò: quia aut sermo est de actione effectiua: & sic, quod variatâ conditione, sine quâ non, ea non varietur, tantum arguit, conditionem, sine qua non, minime agere efficienter, quod vltro fatemur: aut sermo est de actione non effectiua, sed motiua, & applicatiua, qua scilicet conditio causam efficientem mouet, & applicat ad operandum, & cum ea ad effectum concurrat; aut, inquam, sermo est de eiusmodi actione, & sic eam variari, variatâ conditione sine qua non, apertissimum est: siquidem applicatio, seu motio causæ efficientis consistit ex parte in ipsa conditione, sine qua non; ut plerique recentiores tuerentur; & ita variatâ conditione variari necessario debet & prædicta motio: quod si hæc, ut verius esse arbitror, posita est in modo aliquo medio, qui à conditione essentialiter pendeat, & per quem id munus applicandi, & mouendi exerceat; sanè non minus apertum, nec manifestum est, eiusmodi actionem motiuam, siue applicatiuam variari debere variatâ conditione: haud secus ac variatâ causâ efficienti modus actionis ab ea essentialiter pendens necessario variatur. Tertiò: sol in abditis terræ, aut etiam in superficie eius extima diuersos effectus, diuersasque formas substantiales generat; pro sola diuersitate dispositionum accidentalium, quæ in vno passo, & non in alio reperiuntur: & nihilominus eæ dispositiones accidentales ad productionem eorum effectuum, formarumque substantialium efficienter non concurrunt, solumque conditiones, sine quibus non, censendæ sunt: Conditio igitur sine qua non, effectum variare potest, ac proinde in hoc collocari nequit eius à causa discrimen.

Quod autem communiter dici consuevit, conditionem à causa distingui, bifariam ad veritatem accedere potest. Primò: quia conditio, sine qua non, causa efficiens operaretur, causa efficiens non est, sed tantum causa motiua, siue applicatiua, quæ ad genus causæ finalis reduci debet. Secundò: quia conditio multoties causa proxima non est, sed tantum remota, & eatenus ad existentiam effectus conducens, quatenus ad existentiam causæ proximæ requiritur: quare non magis causa id genus conditio dici poterit, quam causa remota causa

causa dici assolet. Non me præterit, recentiores nonnullos in ea esse sententia, ut putent, has solas condiciones ad effectum remotè requisitas dici debere strictas condiciones: contra verò eas, quæ ad operandum proximè requiruntur strictè causas efficientes esse, non condiciones. Ceterum hoc eorum placitum paradoxum est, nec fundamenta, quibus nituntur eius inuētores, aliud quàm meam sententiam probant, aut possunt.



TRACTATUS II.

De relatione causæ in communi.

CAPUT PRIMVM.

De correlatiuo causæ in communi.

1.

RELATIO causæ in communi commode percipi nequit, quin, quid sit eius correlatiuum explicetur: effectum autem causæ correlatiuum esse aded exploratum est, ut non tam dici, quàm non omitti debeat. Porro effectus, ut communiter usurpari solet, duo concernit, nimirum existentiam effectus, & eius absolutam non repugnantiam, seu possibilitatem: quarum altera, & altera causæ correlatiua est: existentia quidem, quia correlatiuum causæ est id, quod causa in lucem producere potest: at solam existentiam, & non meram possibilitatem effectus producere potest: possibilitas etiam, quia correlatiuum causæ est id, cum quo causa essentialiter connectitur, connexio enim vnius cum alio est relatio vnius ad aliud cum vi illius vnum in alio cognosci possit, quod relationis proprium est, iuxta illud Aristotelis: *Relatiua sunt simul cognitione*: At causa quatenus talis essentialiter connectitur cum non repugnantia, seu possibilitate effectus, eo quod chimæra, & impossibilitatis nulla causa absolute esse possit.

2.

Verum illud in presenti non modicam difficultatem ingerit: an scilicet possibilitas, ac non repugnantia effectuum, aut nondum existentium, aut nūquam extitutorum sit denominatio extrinseca, quæ iis à causa præsertim prima, & increata, nimirum ab omnipotentia Dei accedat; vel potius ea non repugnantia, & possibilitas, quæ creaturæ ab æterno possibile sunt, ab omnipotentia Dei, & quauis causa prorsus distincta sit? Henricus in summa quæst. 23. & 25. Capreolus in 2. quæst. 2. art. 3. P. Vasquez 1. part. tom. 1. disp. 104. cap. 5. & alij, quos ibi laudat, possibilitatem effectuum, antea quàm existant, ab eorum causis distinguunt: quibus ipse libenter subscribo. Primò: quia si sola omnipotentia diuina esset possibilitas creaturarum, quæ à Deo produci possunt, patet ratione solus intellectus diuinus foret veritas, & cognoscibilitas creaturarum, quæ à Deo cognosci possunt. Consequens est absurdum: ergo, &c. Sequela perspicua est: quia sicut omnipotentia Dei est virtus producendi res creatas, intellectus Dei est virtus cognoscendi res creatas: igitur sicut omnipotentia Dei ita est virtus producendi res creatas, ut à sola omnipotentia habeant, quod producibiles sint, ita intellectus diuinus ita erit virtus cognoscendi res creatas, ut à solo eo ha-

beant, quod veræ, & cognoscibiles sint: consequens autem absurdum esse suaderetur: quia si solus intellectus diuinus esset veritas obiectiua creaturarum, quæ à Deo cognosci possunt, hæc foret infinita simpliciter: haud secus ac intellectus in quo consistit simpliciter, infinitus est: at veritas creaturarum infinita esse nequit: aliàs omnis creatura ab intellectu creato incomprehensibilis foret; idcirco enim Deus sub intellectu creato comprehensionem cadere nequit, quia eius veritas infinita, & illimitata est.

Dices: veritatem creaturæ intrinsecam esse, idque sufficere, ut ab intellectu creato comprehendere valeat, esto veritas ei intrinseca simpliciter infinita sit: contra tamen, quia creatura antequam existat, solam habet veritatem extrinsecam: at hæc est infinita: igitur antea quàm existat, ab intellectu creato incomprehensibilis est: nec enim comprehendere valet ratione veritatis infinitæ sibi extrinsecæ, cuius infinitas potius ad incomprehensibilitatem confert; nec ratione veritatis finitæ sibi intrinsecæ: quia creatura mere possibilis caret veritate finitâ sibi intrinseca, utpote quæ cum existentia, quæ caret, prorsus reciproca est: at creatura incomprehensibilitatem non vendicat à veritate, quàm non habet, nec vnquam habitura est. Dices secundò: veritatem cuiuscumque creaturæ in recto dicere entitatem creatam, & in obliquo intellectum creatoris, à quo cognosci possit; & cum entitas creata, quæ præcipue, & in recto importatur, finita sit, necessum esse, ut veritas creatoris mere possibilis finita, & comprehensibilis sit. Verum creaturæ merè possibile absolute veræ, & cognoscibiles ab æterno sunt: sicut iuxta aduersarios, ab æterno possibile sunt: at in opposita sententia nihil absolute ab æterno est, circumscripta Deo, & prædicatis, quæ ei essentialia sunt: igitur veritas creaturarum merè possibile in solo intellectu Dei consistere potest, ac proinde est infinita, & ea, quæ creaturam, ut veram, sic incomprehensibilem efficiat.

Secunda ratio, & confirmatio prioris sit: si sola omnipotentia Dei esset possibilitas creaturarum possibile, quæ à Deo produci possunt, sane & sola voluntas Dei esset bonitas creaturarum possibile, quæ à Deo amari possunt: consequens autem absurdum est: tum quia inde fieret, bonitatem creaturarum, aut nondum existentium, aut nunquam extitutarum esse simpliciter infinitam: ac proinde ratione illius rem creatam non posse non amari, à quocumque clarè cognoscatur: haud aliter ac Deus clare visus ad sui amorem rapit, atque necessitat: & quidem sicut ea bonitas tribuit creaturæ, ut amari possit, esto ei extrinseca sit; non est, cur ei tribuere nequeat necessitatem amoris, siue ut non amari nequeat: quod enim substantiam præstat, à fortiori modum præstare potest. Tum quia, si creatura merè possibilis foret transcendentaliter bona per denominationem extrinsecam à voluntate Dei: similiter posset quis esse bonus moraliter, & iustus per denominationem extrinsecam à iustitia Dei, aut Christi nobis imputata, ut nostri temporis sectariis placeat: at oppositum Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. definitum est. Demum, quia si diuina voluntas esset bonitas creaturarum possibile, quas amare potest, similiter esset malitia peccatorum merè possibile, quæ odire potest, & quorum odium à nobis postulat: at horum malitia